

* 38. E. 60

77

Diuina electio: ac tempestiua creatio
Serenissimi Principis Veneti
Leonardi Lauretani: cū
Pronostico sui Inui-
ctissimi Princi-
patus.



Cum Gratia Et Priuilegio.



**P. Thomæ Nigri de proprietate & laudibus Lauri
ac insignis Lauretanorum.**

Laurus olet. redolentq; Rosæ: Leonardus utrūq;
Nam superat cunctas nardus odore rosas.
Nunq̃ tacta polo Laurus: nec fulminis ictu
Iupiter aut tellis est iaculata tuis.
Semper Laure uires: uiridi nec in arbore deesunt
Grata rolis: croceus ceruleusq; color.
Cælar fronde tua uictoribus atq; poetis
Et solet hac sacras cingere fronde comas.
Grata uiris: Dilecta deis uel Apolline teste
Gratior at Venetis: qui tua ierta gerunt.
Tantū annosa cadis: tamen hæc numerosa quirita
Lauretana cohors mox pia damna leuat.
Mox & enim totidem fecunda repullulat arbor
Frondeb; Hercules ut facit hydra labor.
Felix ergo locus quem uiuida Laurus obumbrat
Quem tegit umbriferis Laurus amæna comis.



Panegyris. P. Thomæ Nigri Delmatæ Archipræsbyteri
ac Vicarii Spalatensis in Creationē faustam Serenissimi
Principis Veneti Leonardi Lauretani.

Ruſtuat affiduis fidei dum cymba procēllis
Totus & infeſtis naufragat orbis aquis.

Ille: fuit Veneti cui ſemper cura ſenatus

Spiritus omnipotens trinus & unus idem.

Suſcitat Euganeis Palinurū lætus in oris

Huius ut imperio uentus & unda cadant

Qui regere auſpicio & uentis dare ſcīret habenas

Quiq; foret Venetæ portus & aura rati

Mox ubi corda uirum ſacro hoc tepuere calore.

Flamineq; inſolito concaluere patres.

Nemo Leonardo tantæ ad moderamina molis

Aptior eſt tota uiſus in urbe legi.

Cui neq; corporeæ uires: neq; fortior ætas

Sed Martis probitas: ingenitusq; uigor.

Sed genus armipotens: ſed auorū uiuida uirtus

Quis fatale datum ſigna referre mari.

Protinus ergo fauor: uenerandaq; turba quirītum

Detulit huic Veneti ſcæptra ſuperba fori:

Nec minus unanimis toto plaudente ſenatu

Hunc dixere patres: mox uoluere ducem.

Quanta uiri ut uirtus fuerit: pietasq; fidelisq;

Is fauor unanimis teſtis in orbe foret.

Laurigeros huic fata parant: uetereſq; triūphos

Lauretana domus quos cumulare ſolet.

Laurus enim dudum Neptunia regna ſubegit

Clasſe ſub hoſtili cum latuere freta

Cum lygurum calabrūue & Turcas mille carinas

Tyrrhenum mare uix Adriacumq; tulit.
Externo & latio freta tunc rubuere cruore
Corpora tunc celeres detinuere rates.
Adriaci Regina maris sub Principe tanto
Princeps orbis erit dum pia parca sinat
Candida parca sinet: crudam: uiridemq; senectam
Annuet: & pylîi tempora longa senis
Vt tandem redeant quæ prisca absumpserat ætas
Sæcula: diuino scæptra tenente Duce.
Cui iubet Italiæ uicinaq; montibus altis
Subdi Regna Deus: & sua iussa pati.
Marcus enim Veneti spes & tutela Senatus
Principe sub roseo Laurea ferta geret.
Altius ergo canam: Sua lux est reddita mundo
Purpureus Veneta fulsit in urbe dies
Non semper ualidis agitabitur æquor ab undis
Turbida nec cælo nubila semper erunt.
Nec semper superis Astræa morabitur oris
Transfuga cum sacro candida diua choro
Auro pulsa fides: Lauro reuocabitur: atra
Sede pudicitiam Laurus abire iubet.
Laurigeros habitare lares: ius: fasq; bonūq;
Imperat & celeri crimen abire pede.
Nec prece: nec precio iam sacræ ianitor aulæ
Munere nec cuiquam conciliandus erit
Noctes atq; dies patet almi Principis aula
Hoc in supremo limine carmen habens.
Quid mirare: scias hos Principis esse penates
Hæc Capitolini templa uerenda Dei.
Huc pia turba ueni procul hinc iubet: este prophani
Ianua clausa malis semper aperta bonis.

Hic uenale nihil: Laurus hic imperat auro:
Hic Astræa sacro præsidet usq; choro.
Auro pulsa fides: Lauro reuocata: penates
Hos colit: æternos hic habitura lares.
Dellator: Mendax: Tumidus: Corruptor: Adulter
Improbis: Impurus: His procul a foribus
Castus: Inops: Verax: Insons: pacis ue sequester
Has subeant patulas: nocte: dieq; fores.
Nulli fas castum scelerato insistere limen.
Nam sacer iste locus: Hic Deus ipse manet.
Hunc igitur merito populi uenerentur: adorent
Laudibus assiduis semper ad astra ferant.
Hunc merito Patres: diuini numinis instar
Semper habent: Quid enim gratius esse queat?
Quid Res ipsa potest sortiri Publica maius
Quã sibi contingat a sapiente regi?
Nam Plato tunc cecinit: mundum fore iure beatum
Cum sapiens regeret: nec sequeretur opes:
Gratia sit rerum genitor tibi magna bonarum
Sceptra Pater patriæ Dux metuenda tenet.
Desinat insipiens: Sapientes Gratia septem
Iactare: Octauus nos meminisse iuuat
Nec ferat in celum: quos dura silentibus umbris
Iustitia insignes reddere iura ferunt
Legiferum sileat tot nomina uana solonum
Tuq; tuos sileas Roma Beata Duces
Cædit enim Lauro patria probitate Camillus:
Elloquiis Cicero: Religione numa:
Muneribus Cæsar: mira pictate Metellus:
Et salibus Paulus: & grauitate Cato
Regulus insignis bello: pictate: fideq;

Præcipua Fabius calliditate bonus
 Iusticia Brutus: Claraq; propagine Drusus
 Moribus ingenuis sanctus uterq; Cato.
 Prodigæ turba Patrum Detiorum siue Pisonum
 Laurigeris Ducibus cedere iure uelit.
 Curtius immensos ruptæ telluris hiatus
 Non timuit: Patriæ captus amore pio
 Lauretanus herus Piceos non horruit ignes
 Androgeus: Veneti gloria magna fori
 Quantum igitur differt penetrabilis Orbis ab Vrbe
 Inferior tantum Curtius Androgeo.
 Quem tibi ceruleo generose Iacobe Gradiuo
 Roma parem meritis: Ingenioq; daret?
 Scipiades: Fabios: Decios: Antonius urbis
 Lumina: Romuleo iudice uincit herus.
 Romulus ille Pater diuinæ conditor urbis
 Romuleis Venetos præposuisse cupit.
 Iure igitur tantæ stirpis generosa propago
 Imperii Veneti Laurea scæptra gerit.
 Iure Patre Patriæ Leonardus ut imperet Orbi
 Turba rogat superos sollicitatq; Deos.
 Maior Alexandro: totus cui paruit Orbis
 Hic erit: Iniiciat ni fera parca manus.
 Proferet Imperium super & Garamantas & Indos
 Inuideant propriis ni pia fata bonis.
 Hæc ego uaticinor: Christi Phœbiq; sacerdos
 Vera cano: Verum dicere uterq; iubet.
 Spiritus in nobis: Spirante reponimus illo
 Credite: Nam Vates turba uerenda sumus.

Serenissimo Principi Veneto Leonardo Lăuretano Tho/
mas Niger Delmata Archipræsbyter & Vicarius Spa/
latensis Salutem.

Q Ir sacer & nostro Princeps memorabilis Acuo
Astrigera Venetis missus ab arce poli.

Quem Deus ipse suo præsfecit nuper ouili

Ne foret hoc rabidis præda: cibusue lupis

Ne regale genus: Christiꝑ cruore redemptum

Subderet immani libera colla iugo:

Aspice Pyerius ꝑ uera reponat alumnus

Qui fore uictorem teꝑ tuosꝑ iubet.

Qui tibi Laurigeros proauorum iure triumphos

Et maris Imperium fata parare canit.

Vix bene uictrices: afflatus numine: Lauros

Iam propiore Dei: uaticinatus eram.

Ecce subit Venetum: proh fors: pia fama Senatum:

Quæ magnum a gelido nuntiat axe bonum

Quod genus armipotens: ꝑ auaræ gentis Amilchar

Scander: ab Hystricola milite cæsus erat.

Qui tibi deuinctus numeroso militat ære

Nam meret in castris sumptibus ille tuis

Nec minus interea Mythilenem nuntius affert

Milite sub Veneto uix superesse solo.

Aequoreũꝑ simul Caccum cognomine Richi

Supplicium ueteris persoluisse doli

Et ni forte suis uentos suribundus ab antris

Aeolus insanis præcipitasset aquis

Insula tota focis: Venetis cæsisset & armis

Subderet occiduo Colla proterua iugo

Calcidicosꝑ sinus Venetus penetrasset: & omnes

Helleſpontiacas dirripuiſſet opes.
Sed quos fata premunt: hos ad maiora referuant
Ardua difficili ſemper in arce manent
Sic pater Aeneas uentis agitatus & undis
Magnus Alexander ſic meruere premi
Ergo quid optandum reſtat tibi maius in orbe
Inclyta Progenies Chriſtigenūq; pecus
Quā ſub Laurigero Vaſto dominarier orbi
Perpetuaq; ſacro Principe pace frui
Quem bene uix ſolio fortuna locarat in alto
Principe mutato: mutat & ipſa uices.
Mox ſua ſenſit Arar: pia mox commertia Tygris.
Et quicumq; colit diuitis arua Tagi
Hunc Deus ingenuis animi tot dotibus implet
Quot maris Adriaci uix capit unda niues.
Et iuris nodos: & legum Enigmata ſoluit
Nam fuit in duplici par ſibi nemo foro
Et cærtis ſolidum metitur paſſibus orbem
Nam uaga fulgentis conſulit aſtra poli
Hyltoricos: Vates: diuinaq; ſcripta Solonis
Conſulit: atq; apices doctæ ligurge tuos
Bella uetat: ſuſceptra fouet: non iuſta coeracet.
Quæq; tamen celeri uincere Marte ſolet.
Cum ſedet Aurato ſolio ſublimis in alto
Dignatur ſacili ſupplicis aure preces.
Cum iubet æratas procedere rite carinas
Vt Leo Magnanimus primus in arma ruit.
Quid moror: eſt cumulus pietatis: culmen & æqui
Præſidium miſeris: perniciesq; malis.
Aequora ſæua paro fragili ſulcare carina
Atq; per Euxinum ludere lyntre lacum.

Qui modo Laurigeros diuini Principis ortus
 Audeo disparibus concelebrare modis.
 Quem uix Meonides placida celebrasset Auena
 Vix Maro: Qui Latia primus in orbe lyra est
 Vix Maro: Vix grauibus carthis Venusina Lucerna
 Vix posset leuibus Naso referre modis:
 Hæc & enim fuerant Tragico celebranda cothurno
 Atq; Sophoclesi res erat ista pedis.
 Quare agite: O: rerum Domini: gentisq; togatæ
 Præcipui Proceres: perpetuiq; Duces
 Tu tamen ante alios cælestis ianitor aulæ
 Culmen Apostolicum cui dedit ordo Patrum
 Semper ut incolumes christi tuearis alumnos
 Mortiferis pateat ne sua caula lupis.
 Ne gens ueridicis quondam predicta Prophetis
 Sacrilegum subeat: lætiferumq; iugum.
 Consulite in medium: uestrasq; adiungite uires
 Nec pigeat tanti Principis arma sequi.
 Qui fuerat Venetis primo promissus ab ortu.
 Quo Duce sola Dei fiet in orbe fides.
 Non ne pudet q; turca ferox: tot Regna: tot Vrbes
 Strauerit: & solus uictor in orbe furit?
 Non ne uidetis atrox: quæ Mœnia subruat imis
 Sedibus: & nostræ q̄ minuantur opes.
 Quantus in arma ruat: miseris quot ab orbe remoto
 Prælia Christicolis perniciose parat.
 Vix Mare nauigiis: uix castris terra locandis
 Sufficit: æquoreas classis obumbrat aquas.
 Arua natant sanie: terramq; cadauera cœlant
 More perennis aquæ sanguis ubiq; fluit.
 Me miserum: patrio quot millia uincula collo

Ferrea compedibus associata ferunt.
Vidi ego qui fuerat: Latii pars magna Senatus
Squalidus immensa compede fessor erat
Vespere qui uicto referens a monte ligonem
Lassus & in nuda uix requieuit humo
Et qui mille dapes iam fastidire soleret
Et cui uix facerent uina Phalerna satis
Huic leuat herba famē semicrudis carnibus uncta
Vix leuat assiduam turbida Lympha sitim.
Vestibus intextis auro qui incæssit amictus
Vix sacco putri tota pudenda tegit.
Ingenuos pueros: captiuas mille puellas
Proh pudor intucor stupra nefanda pati.
Infantes matrū gremiis: & ab ubere raptos
Excuciant duro: membra tenella solo.
Quos in frustra secant: canibusq; trementia præbent
Ah miseræ Matres: quæ genuere feris.
Proh dolor immensus nullo medicabilis æuo
Virginis intactæ templa uerenda ruunt
Atq; ubi Christe tuæ fulgebat Imago Figuræ
Hic canibus locus est: Hic stabulantur equi.
Quare age rumpe moras Christi generosa propago
Lauriger ut toto regnet in orbe Leo
Tuq; prior: Cui signa sacer Iouis Ales obumbrat
Inclyte Rex sacri Maximiane fori.
Pelle moras: rabidumq; ruas furibundus in hostem
Qui toties latius intulit arma focis.
Faucibus ecce subit Latii: portisq; propinquat
Italix ualidas iam populatur opes.
Aere merens Veneto Rex inuictissimus acres
Pannonas assiduo Marte fatigat equis

Inclyta Pannoniæ generosaq; turba: Boæmi
 Arcet ab Illiricis hostica tella focus
 Gallus & Hispanus: Duo lucida sydera Mundi
 Regia progenies: Martigenūq; genus.
 Classibus ærratis Venetum muniere Leonem:
 Auxiliatrices nec tenuere manus:
 Euigilent reliqui: Paries nam proximus ardet
 Nam uigilat rugiens ut Leo Turca ferox.
 En sequimur Vates quoscunq; uocamur in usus
 Nec detrectamus munus obire pium
 Principe sub roseo: Glatialem credimus ultra
 Oceanum: Turcam pellere posse trucem.
 Europa atq; Asia pulsum: Lybiaq; feraci
 Perferat ad stigias futilis alnus aquas
 Vt quem mille rates solidæ uexere per orbem
 Vnica naufragii Cymba sit ista sui.
 Vel ruat in preceps subito telluris hiatus
 Vt ruit attonitis Amphiaræus equis
 Tu modo ceruleo properes benedicte Gradiuo
 Nomen ab effectu cui dedit alma parens
 Qui uehis innumeras Veneto sub nomine classe s
 Quem iuuat occidua Belliger axis ope
 Tu Marcellus eris: Seu Dux Pensaure Camillus
 Restituit Patrio qui sua signa foro.
 En Leonarde tibi prostratus supplicat orbis
 Victor ut excipias seq; suosq; simul
 Quos tamen excipies: Hos ut tueare precatū
 Vt Veneta liceat his ditione frui.
 Auspicio Leonarde tuo iam nulla ueremur
 Bella: nec Hostiles te uigilante minas
 Te Duce Pannonius maculatur sanguine Nilus

Hyster & hostili turbidus amne fluit.
Te Duce Turca ferox Venetis iam colla cathenis
Cogitur: aut turpi iam dare terga fugæ.
Te Duce iam triplicem uictricia signa per orbem
Laurigerūq; genus ferre sub alstra licet.
Ergo tuis pedibus cum totus inambulet orbis:
En tibi Dii merito mille dedere pedes.
Nam tibi signa ferunt Rhodanus: Pactolus: & Hyster.
Quicquid & occidui perluit unda maris.
Iam tua signa sequi Romana potentia gestit.
Quicquid & Eridanus circuit amne sacro.
Ergo bonis: auib; fatiſq; uocantibus orbem
Aggredere: & fausta ſcæptra capeſce manu.
Nec te permoueant manifesta pericula Martis:
Dii quibus eripient teq; tuosq; ſimul:
Nec metuas Getici tot prospera bella tyranni
Quem Bellona ſimul: Mars: & Enyo fugit.
Quem modo Pannonius: Venetusq; coercuit acer
Hic terra clades intulit: Ille mari.
Quem faciles dare ſumma uiris: eademq; tueri
Difficiles: Iam iam deſtituere Dei
Victor eris fateor: Victriciaq; arma repones
Lauriger ad Patrii templa uerenda Dei.
Hic ubi Daphnæa per eburnea colla uagantes
Fronde tegit longas diua benigna comas.
Cuius utrūq; latus cingens pia turba ſorum
Quælibet offitium cætat obire ſuum.
Iuſticia in neutram: recto libramine: partem
Declinans: æqua crimina lance notat.
At ſibi concilians facilem reuerentia plebem:
Sæpe iubet populum Patribus eſſe parem.

Nec mortale canens Lyrico modulamine carmen
Gloria:perpetuo plectra sonora mouet.
Maiestasq; premens rugoso secula fastu
Tempora præteritis nexa futura notat.
Affidet his proprium Venetum clementia numen
Parcere quæ miseris Cæsare teste solet.
Nam dare subiectis ueniam:expugnare rebelles
Sola solent Veneti signa tremenda fori.
Has inter locuples:sed barbara moribus astat
Pacifica reliquis oscula fronte ferens.
Fomentum uicii:genitrixq; pecunia luxus
Humano generi perniciosa comes.
Applausus:a fronte sedent:qui seria ludis
Miscentes:mulcent conciliantq; Deam:
Et fauor ambiguus:bleso quoq; subdolan ore
Risus adulator corde gemente fauet
Gratia cum nymphis:numeros aptante camæna
Ante Deam properat ducere nuda choros
Et spes in dubiis semper comes optima rebus
Desperare uetat:sed potiora iubet
Pax ueneranda Deis:& pleno copia cornu
Partitur larga munera quæq; manu
Fortuna omnipotens:uarium:& mutabile numen
Folle sedens:proprias huic rapit:huic dat opes
Ambitio pernox:curarum sedula nutrix
Peruigil ante fores imperiosa sedet.
Multaq; præterea uariarum turba Dearum
Laurigeram uario mulcet honore Deam.
His te dona decet uotiuâ reponere templis
Hic spolia accipiat uictor opima Leo
Atria marmoreis clarus cui mira colūnis

Finxit apellæus Phidiacusq; labor
Hic Policletæo spirantia pectora cælo
Zeusidis hic uiuæ parasieq; manus.
Hæc mihi non tripode:nec Apollinis umbra retexit
Sed Deus & genitus ingenitusq; simul.
Ille Pater rerum:totum qui condidit orbem.
Veridicum sine quo credimus esse nihil
Plura quidem dixit:sed non licet omnia fari
Donec exit Venetus uictor in orbe Leo.

Illustrissimo Principi ac Excellentissimo Dño Domino
Leonardo Lauretano.P.Thomas Niger Archipræsbyter
& Vicarius Spalatenfis.

QUæm fuerit uacuis manibus capitale:uerendos
Cæsaris Assyrii crimen adire lares.
Scandere Laurigeros timuit mea musa penates
Munere regitico ni comitata foret.
Copia nulla mihi:flauï tibi nulla metalli
Cura:nec occiduo ditior orbe uiget.
Ergo det alter opes:ego Princeps do tibi carmē
Nec maius Vates quod dare posset habet
Gratius argento:fuluo pretiosius auro.
Carmen:& hoc tanto munera digna uiro
Veræ carmen opes:nam cætera:carmina præter
Fortuna instabili datq;rapitq; manu.
Excipias igitur placido mea carmina uultu
Parua nec audacis munera sperne uiri
Qui tua disparibus properet celebrare camænis
Gesta:Sophocleï cum pedis ista forent
Munera parua quidem:sed dantis magna uoluntas

Qua fertur superis gratius esse nihil
Nec mirare precor si parui magna mouemus
Nec pudet exigua: summa reuerre: lyra.
Sæpius Aetherios mortalis homūtio diuos
Kettulit: & superis thura sabæa dedit.
Iupiter ignipotens laudari quolibet ore
Se iunct: en paruis magna mouere licet.
Tu quoq; fandi opibus quāuis sublimis ab ūdes
Et te Phæbus amet: pyeridesq; colant.
Ne tamen exiguo spernas celebrarier ore
Quod solet ingenuos tollere ad astra uiros
Sol læpe occiduus: uentosq; cingitur astris
Luna: & in oceanum flumina parua cadunt
Cæsaris arma Maro: Naso quoq; Cæsaris aras
Dixit. & ægregium munus uterq; tulit.
Ast me Laurigeros paupertas impulit audax
Disparibus numeris concelebrare lares.
Præmia parua peto: tam parui carminis auctor
Sunt tamen a magnis magna petenda uiris
Si me parua decent: dare te reor. Inclyte Princeps
Parua pudet: tamen hæc sunt mihi parua satis
Maxima sed dederis: multo maiora daturus
Si dabitur placido Principe posse frui.
Laurigeros inter si cōnumerare clientes:
Meq; tui fati iusseris esse Tubam.
Sim licet incomptus nec tanto Principe uates
Dignus: at interea uernula fidus ero.
Hoc ubi præstiteris: dabis in mea carmina uires
Nec me carminibus promptior alter erit.
Tu mihi Phœbus eris: tu numina cuncta sororum
Te sine nec Phœbus: musa nec ulla iuuat.

Vergilius culicem rudibus uix uersibus olim
 Fleuerat:& raptas pauper & æger oues.
 Accipe diuitias:& uatum maximus esto
 Dixit Tuscus eques:Ingeniūq; dedit.
 Cæsaris arbitrio fugit & manet Inclyta uirtus
 Et cadit ingenium stat q; fauore suo.
 Quantum ego Vergilio minor:hoc tu Cæsare maior
 Qui quocunq; pio carmen ab ore probas.
 Ergo faue captis:nostras nec sperne camænas:
 Cum stet in arbitrio turba uerenda tuo.
 Si nostram docto laudaueris ore thalyam
 Contingam summis sydera uerticibus.
 Protinus & triplicem spargam tua gesta per orbem
 Sideribusq; meo carmine notus eris.
 At si forte meos Princeps damnaueris orsus
 Accipiet nostros flamma uel unda modos.
 Hactenus:hæc breuibus peraretur pagina uerbis
 Postmodo carminibus Dux celebrande meis.
Inclyte dux patriæ legum sanctissime cænsor
 Quem toga quem bellum quæ decus omne canit
 Seu tua perdendos aperit facundia turcas
 Seu dare pacato conuenit hoste fidem.
 Nam paphiæ charites & uirtus pallados almæ
 Corpore se pariter constituere tuo.
 Hinc sophiæ Leonarde parens.hinc nobile sidus.
 Diceris.& patria nomen in urbe frequens
 Quam bene consuluit Veneto fortuna senatu
 Quæ Lauretanum præbuit æqua ducem.